Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tum. Unde quod difficilius quaeritur, solet dulcius inveniri. Nec putetis
ista vobis obscuritate subtracta, sed difficultate condita. ad hoc quod saepe iam
diximus, ut delectet petentibus, inveniatur a quaerentibus, intretur a pulsantibus. Sed opus est no-
bis aliquanto maiore et silentio vestro et patientia, ut pauca quae dicturi su-
mus, non per strepitum tempus amplius occupent. Pauca enim nos dicere temporis cogit
angustia, quod novit et caritas vestra debere nos exequi in fidelis corporis sollemp-
ne obsequium. Ecce iam quae dicta sunt repetit, et rursus exponere non cogamur. Sed si
defuerunt aliqui qui non audierunt, quod omnino non deessent, prodest fortasse illis quia
non audiunt modo quod audierunt qui affuerunt, ut et ipsi discant a doctore. Legamus quod cursim.

BENEDIC ANIMA MEA dominum. Omnium nostrum anima
dicitur una facta in Christo. Domine deus meus magnificatus es nimis.
Unde magnificatus es? Confessionem et decorem induisti.
Confitemini ut decoremini, ut induat vos circumamictos
lucem sicut vestimentum. circumamictus ecclesiam suam, quae ipsa facta est
lux in illo, quae prius erat tenebrae in se, dicente apostolo: Fuistis ali-
quando tenebrae, nunc autem lux in domino. Extendens caelum sicut pel-
lem. vel tam facile quam tu pellem, si tam facile tanquam ad litteram ac-
cipias, vel auctoritatem scripturarum intelligamus distentam per to-
tum mundum nomine pellis, quia mortalitas in pelle significatur. Dispensata est autem no-
bis omnis auctoritas scripturarum divinarum per homines mortales, quorum iam mor-
tuorum fama distenditur. Qui protegis in aquis superiora eius. Cuius superiora? Caeli.
Quid est caelum? Figurate dumtaxat diximus scripturam divinam. Quae superiora
scripturae divinae? Praeceptum quo nichil est eminentius karitatis. Quare autem aquis
comparata est caritas? Quia caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum
qui datus est nobis. Unde aqua ipse spiritus? Quia stabat Iesus et clamabat: Si quis
sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, flumina aquae vivae de ventre eius
fluent. Unde probamus quia de spiritu dictum est? Dicat ipse evangelista qui sequitur et
ait: Hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant hi qui in eum erant credituri.
Qui ambulat super pennas ventorum, id est super virtutes animarum. Quae est vir-
tus animae? Ipsa caritas. Quomodo autem ille super illam ambulat? Quia ma-
ior est caritas dei in nobis quam nostra in deum. Qui facit angelos suos spiritus et mi-
nistros suos ignem flagrantem, id est eos qui iam sunt spiritus, qui spiritales non carnales sunt,
facit angelos suos, mittendo ut praedicent eius evangelium. Et ministros suos ig-
nem flagrantem. Nisi enim ardeat minister praedicans, non accendit eum cui praedicat.
Fundavit terram super fundamentum eius. Fundavit ecclesiam super fundamentum ec-
clesiae. Quid est fundamentum ecclesiae nisi de quo dicit apostolus: Fundamentum nemo potest